QUÆSTIONES CRITICÆ
DE
THEOGONIA HESIODEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS GROSSE
BEROLINENSIS.

ROSTOCHII.
TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.
MDCCCLXXIII.

Argumentum.

I.

De arte critica in Hesiodo recte exercenda.

De Hesiodi poetae vita, carminibus, aetate, cum scriptorum qui aequales ei fuerint, testimonia exstent nulla, multi homines docti, quae aliunde tradita non habebant, suis coniecturis adipisci iam pridem conati sunt. Postquam Homerum poetam, cui Ilias et Odyssea tales quales habemus, deberentur, nunquam fuisse Wolfius demonstravit, inventi sunt, qui iisdem quibus ille, causis usi eadem de Hesiodo poeta contenderent eandemque Hesiodeis carminibus originem affingerent, qualis esse Homericis luculentissime erat demonstrata. Quanquam qui id fecerunt, inconsulte iudicaverunt, quippe qui, num eadem originis ratio potuisset subesse Hesiodeis carminibus vel statui fas esset, antea non considerassent. Ad adhibendam in Hesiodea carmina Wolfii doctrinam ea potissimum opinione ducti sunt, quod nulla de Hesiodi poetae vita ac persona restaret certa traditio. In quo unam quae revera extat, videntur mihi praeteriisse, ipsa scilicet Hesiodi carmina, vel potius certas horum partes.

Qui enim altiore cogitatione de carminibus, quae Hesiodo adscripta extant, meditatus fuerit, eum fugisse nullo modo potuerit, longe alienam esse horum naturam ab illis Homero tributis carminibus, quia capita in iis sint quae, certo auctore non supposito, intellegi nullo modo possint, taliaque potissimum in carminum, quibus „Operum et Dierum“ titulus inscriptus est, corpore inveniri.

Quae cum ita sint, falsam ingreditur viam, qui eadem ratione nata esse Hesiodea carmina temere iudicat atque Homerica, neque est cur dubitemus quin inprimis ea, quae in carminibus Hesiodi de poetae persona et vita tradita videmus, genuina et ab Hesiodo ipso profecta sint. Et est revera totam pervertere quaestionem, si ita quis instituat,

ut quaerat, utrum fuerit Hesiodus poeta eaque, quae sub Hesiodi nomine feruntur, carmina certo, cui Hesiodo nomen fuerit, poetae tribuenda sint, necne. Nam cum inprimis inter Operum et Dierum partes tales inveniantur, quibus certum poetam auctorem esse credere cogamur, inque quibus Hesiodi Ascrae Boeotorum nati ut auctoris nomen dilucidis verbis extet, vel ea re Wolfii de Homero ingeniosam doctrinam in Hesiodi personam et poemata adhibere plane vetamur.

Cum in illis aliquis loquentem se introducat ipseque sibi Hesiodi nomen indat et de argumentis verba faciat quae nisi ad certum hominem certo tempore certaque rerum condicione agentem pertinere non possint, arti criticae in his non nisi hoc propositum esse potest, ut quaerat

1) utrum quid causae sit dubitandi num traditio, ista sub Hesiodi nomine servata poemata ab uno et eo certo poeta composita esse recte se habeat, an non sit.
2) Si non sit, quaerendum est, num quid causae sit, cur illa Hesiodo cuidam non tribuamus.

Alius autem quaerendi modus et in his et in similiter dubiis ratione caret. Nam si quis aliter quaestionem instituit, si plus cognoscere vult, arroganter agit, cum sibi sumat se res ut vatem perspicere posse, quae nobis, qui plus viginti seculis posteriores sumus, non caliginosae esse nequeant.

De priore quaestione, num carmina quae sub Hesiodi nomine feruntur, uni poetae adscribere vetemur, prima specie apparet, quod iam significavi, Wolfii de Homero argumentationem ad Hesiodi cum Theogoniam tum Opera et Dies non posse revocari. Opera enim et Dies, quae est eorum natura, non epicorum sed lyricorum et didascalicorum poematum in numerum referri necesse est. Quis autem est quin haec poeseos genera recentiora esse quam epicum contendat? accedit quod rationis quoque in iis metricae quaedam proprietates transitum ad posteriorem Homero usum aperte produnt. Ac si Wolfius Homerica poemata, quanquam, qua aetate ars scribendi adhuc ignota fuisset, nata essent, tamen propter ambitum ab uno eodemque viva voce tradi non potuisse sumpsit, etiam hoc argumentum in Hesiodum non

cadere facile vides. Homerica enim 48 sunt rhapsodiarum, Theogonia Hesiodea 1020 versuum est, Opera et Dies vero ex parvis exigui versuum numeri poematis consistunt. Quamquam id cum dico, de quaestione, num Hesiodea carmina viva voce an per litteras tradita sint, hoc loco nihil decerno.

Longe autem gravissimum, quo apertissime Hesiodea ab Homericis distant, quo Wolfii doctrina ab Hesiodo plane excluditur, hoc est, quod in Homero, quae est epicae poeseos natura, unius et propriam indolem prae se ferentis poetae nulla extant vestigia. Hesiodea autem carmina — dico nunc Opera et Dies — non solum certum poetam certa indole indutum ut auctorem sibi poscunt, sed etiam nullo modo intellegi possunt, omnibus, quae ad Hesiodi nomen et vitam pertinent, sublatis. In Operibus et Diebus enim plurima non ad res et homines in universum spectant, sed ad certas res certosque homines; duabus illis de Pandora et quinque seculis fabulis non exceptis nihil in iis epici generis est, omnia sunt hominis propria unius. Facile cognoscis Operum et Dierum monita praeceptaque ex certo consilio et ab homine composita esse, qui illatas sibi iniurias indignatus iniusto et fraudulento fratri irascitur fratrique, postea ad mendicitatem redacto, postquam mendicantem repudiavit, quomodo assiduitate et labore rem familiarem in integrum restituere, augere, servare possit ostendit.

Operum et Dierum igitur non est cur dubites quin omnia, si et a prooemio et Pandorae et V seculorum fabulis et a fastis fini agglutinatis fortasse recesseris, Hesiodo Ascrae Boeotorum nato adscribenda sint. Quanquam iure dubitare quis potest, num singulae Operum et Dierum partes primitus inter se coniunctae talique quali nunc habemus ordine fuerint dispositae. Hoc saltem concedendum videtur, si recto et primo ordine legantur, poetam ea ut unum et perpetuum carmen non edidisse neque titulum fastis tantum convenientem praefixisse. Sed utut res se habet, quisquis carmina in unum coniunxit, certae personae auctor Operum et Dierum, Hesiodi nomine dictus, in dubium mihi non posse vocari videtur.

Venio nunc ad Theogoniam. Subdifficilis hic oritur quaestio. Ac primum quidem duo non neganda esse videntur: poema, quale traditum habemus, non solum maxime ieiunum esse, ut longum eius enumerandi genus, cui docendi consilium subesse elucet, ab epica narrandi subtilitate vigoreque nonnisi delectationem affectante multum abhorreat, sed etiam alia aliis tam saepe repugnare, ut tale non uni sed pluribus auctoribus debeatur. Quae autem repugnant ea et conpluribus poematis conglutinatis orta et interpretamentis aliisque interpolationibus additis illata esse posse quis est quin intellegat?

Quae cum ita sint, illae a nobis in universum prolatae quaestiones de Theogonia Hesiodea hoc modo debent fieri:

1) si in repugnantia incideris, videndum est, utrum priore ratione, id est plurium et primitus diversorum inter se poematum coniunctione an altera, id est agnoscendis interpolationibus possint explicari. Jam nunc dico fore ut hac altera plerumque via Theogoniam auctam et ad praesentem versuum numerum adductam esse intellegamus.

2) Deinde cognitis hoc modo iis quae repugnant considerandum est, num his exstirpatis caetera unum praebeant aequali orationis filo deductum carmen.

3) si praebeant, tum quaerendum, num sit quo prohibeamur quominus Theogoniam eis quae pugnant liberatam Operum et Dierum auctori attribuamus. His enim unum et Hesiodi nomine dictum poetam subesse demonstravimus.

Ad illam primo loco positam quaestionem recte diiudicandam necesse erit Theogoniam per partes explicantes et quasi disiungentes perlustremus. In qua explicatione consilio meo maxime consentaneum videtur ceterarum quoque quas modo protuli quaestionum rationem habere.

Ad respondendum autem iis quae postrema et gravissima nobis quaerenda sunt, necesse est naturam et indolem Hesiodi sive Operum et Dierum auctoris accuratius intellegamus.

Conferam igitur in proxima disputatione quae vel ad sententias vel ad res grammaticas vel metricas pertinentia et ex Operum et Dierum contemplatione collecta Hesiodi propria existimanda sunt.

II.

De Hesiodi carminum non dubiorum notis insignioribus.

Ad quas explicandas afferam potiores.

Ac primum quidem non offensurus mihi videor homines antiquitatis studiosos, si Operum et Dierum auctorem poetam dixero sane mediocris ingenii, humi tanquam serpentis, altius nunquam assurgentis, hominem autem ad omnia philosophorum instar animum intendentem eaque, quae cogitatione adeptus est, fabularum formis induta interdum carminibus suis inserentem. In quo genere cum alia tum eius de duabus *Ἔριδος* personis opinionem conferas, ad quam nonnisi de studii, num boni an mali quid esset, dignitate ductum esse poetam apparet.

At cum omnium rerum causas ut homo vere philosophus indagare conetur, omnino causam rerum inter se connexarum sibi fingere satis habet neque animum altius defigens, iudicat ut pro sua rustici ratione, quod in illa de agro colendo parte (O. 405 ss.) atque in fastis, Operum clausula, saepius invenies. Itaque similia, quibus utitur, ex agricultura petere solet, ut illud de gerulis et fucis. (O. 304 ss.). Multa expertum poetam suorum aequalium paenitet, quos degenerasse dicit a priorum seculorum castitate, malaeque fraudi periurio adulteriis intentos. (O. 174—201, 267—274.)

Est autem casti sane animi poeta saepiusque fabulis suis moralem addit admonitionem. (cfr. O. 105, 202—212, 328 ss.)

Quocum id cohaeret, quod quamvis rusticus mire verecundus apparet homo (O. 757—769), quod magna erga Deos, maximeque erga Jovem pietate movetur. (O. 239 ss.; 335—341; 737—739; 748); quodque poeticam suam indolem grato animo Musis Heliconiis debere se confitetur, ut est in carmine sine dubio genuino O. v. 659.

Cetera quibus revera in Boeotia vixisse poetam sae-

piusque ad huius terrae loca et naturam alludere planum fit, praetereo, quanquam conferas O. 376. 377. ibique a Goettlingio notam additam, itemque O. 640, eaque quae ad hunc a Proculo scholiasta notata sunt.

Deinde proprium Hesiodi est, obscuriora et verba et sententias aliquot locis orationi inserere, cuiusmodi sunt:

φερέοικος (O. 576.) pro ϑὴρ φερέοικος sive κοχλίας.
ἀνόστεος (O. 529) pro ἀνόστεος πολύπους.
πέντοζος pro manu, ἡμεροκοῖτος pro fure, ἴδρις pro formica, aliaque per se intellectu non facilia.

Quibuscum conferas O. v. 529.

καὶ τότε δὴ κεραοὶ καὶ νήκεροι ὑληκοῖται
λυγρὸν μυλιόωντες ἀνὰ δρία βησσήεντα
φεύγουσιν,

quorum sententia iam a veteribus interpetribus non uno modo explicabatur.

Postremo adde illos σκολιοὺς μύϑους et δίκας σκολιας (O. 221.)

Habes igitur in his certae personae poetam, qui nequaquam, ut aliquis Homerus Iliadi et Odysseae, nihil nisi nomen suis impressit carminibus, aut in Nibelungiade nostra ne nomine quidem memoratur, — nimirum, quia antiquissimi carminis epici natura prohibet, quominus certi hominis indoles iis imprimatur certusque eius auctor memoriae tradatur. Immo habes in Operibus et Diebus poetam qui, quae est lyricorum consuetudo, multa de se ipso narrat nomenque suum in ipsis carminibus saepius repetit.

In narrando Hesiodus quamvis magis lyricus quam epicus poeta, tamen epica, quae est Homerica, et forma et dialecto usus est paucis admixtis quae Aeolensium propria sunt. Exempli gratia affero:

α) primae declinationis genetivum in ᾶν loco ῶν exeuntem, ut μελιᾶν O. 144; eiusdem declinationis accusativum plurativum correptum, ut O. 674 δεινάς [— ⏑] μελεδῶνας O. 66.

β) psilosim Aeolensium propriam pro δασυσμῷ aliis usitato, cujus perpauca certa tamen inveniuntur vestigia.

Ceterum Aeolicarum formarum apud Hesiodum numerum augere inquirenti haud difficile erit. Sic habes O. 558 *μεὶς* pro *μὴν*, 526 *δείκνυ* pro *δείκνυσι*, 688 *τέτορες* pro *τέσσαρες*, 665 memorabilem contractionem sive assimilationem *κανάξαις*. Doricas quas hic illic singillatim invenies formas, ne longus sim, praetereo. Mirari quis possit, quod Hesiodus quamvis Boeotus, de mense disputat, cui *Ληναιών* nomen dat. (O. 504.) Nam *Ληναιών* nomen Boeotis in usitatum, Jonum est appellatio, qua re, quod alio loco (O. 636.) Hesiodus narrat patrem suum Cuma Aeolidis Ascram Boeotorum transmigrasse confirmatur.

Notandum videtur quod nullo loco pronomini demonstrativo *ὁ ἡ τό* nudi articuli vim tribuere cogimur, quod ut antecapiam, ad unum omnibus Theogoniae versibus examinatis etiam hic faciendi nulla est nobis necessitas. Multa alia autem inveniuntur quae recentioris aetatis sint quam Homericae, ut sillabae radicalis vulgo productae correptio:

κᾰλός (⏑⏑) pro *κᾱλός* [—⏑]. O. 63. et contractio vocalium *έων* in *ῶν* in genetivo pluralis primae declinationis. O. 264 *σκυλιῶν δικῶν*, quae contractio nisi vocali litera antecedente in epica oratione fieri non solet. Tum recentioris aetatis est forma *βασιλεῖς* pro *βασιλῆες*. O. 248, 263.

Deinde multorum apud Hesiodum verborum significatio Homero adhuc ignota est, ut O. 123 *δαίμονες*, qui Hesiodo non ut Homero *θεοί* sunt. Quod autem v. 276 legitur vocabulum, *νόμος* legem significans apud Homerum eam vim hic non adeptum est.

Vel ex his argumentis facile concludis Hesiodum recentiore aetate floruisse quam Homerica poemata nata sunt. Uberiores omnium harum proprietatum indices necnon meas de hiatus et digammi usu observationes alio loco exhibebo. Duo autem Hesiodeo dicendi generi propria hoc loco praetermittenda mihi non videntur, et frequens in Operibus et Diebus alliterationis usus, cuius Goettlingius in disputatione de poetis Hesiodeis scripta p. XXXV (G. Hesiodi carmina ed. II.) exempla collegit; et frequentior etiam gnomici quem dicunt, aoristi.

III.

De cognoscendis in Theogonia partibus interpolationibusque quaestio.

Jam antiquitus fuerunt qui Theogoniam ab Hesiodo abiudicarent, quod Pausanias de Heliconiis Boeotis narrat cum dicit: (IX, 31. 4.) *Βοιωτῶν δὲ οἱ περὶ τὸν Ἑλικῶνα οἰκοῦντες παρειλημμένα δόξῃ λέγουσιν, ὡς ἄλλο Ἡσίοδος ποιῆσαι οὐδὲν ἢ τὰ Ἔργα. Καὶ τούτων δὲ τὸ ἐς τὰς Μούσας ἀφαιροῦσι προοίμιον, ἀρχὴν τῆς ποιήσεως εἶναι τὸ ἐς τὰς Ἔριδας λέγοντες.* Sed cum causae, quare ita iudicaverint Boeoti, a Pausania nullae afferantur, horum sententia hodie non ita multum valet. Neque Pausaniae ipsi eam sententiam amplectenti et de Hesiodo ut auctore Theogoniae dubitanti (IX, 27, 2. cfr. IX, 31, 5. IX, 35, 5.) quia nunquam ipsum se rem excussisse prodit neque usquam opinionis suae causas exponit, tribuendum quidquam videtur. Quomodo autem de auctore Theogoniae quaestio recte instituenda sit, satis supra significasse mihi videor. Itaque etiam qui strophis quinariis vel ternariis Theogoniam primitus compositam fuisse intellexisse sibi visi sunt, ingeniosam hanc quidem sed certis argumentis nullis probatam inventionem sibi habeant. Ad propositum transeo.

Omnis Theogonia qualem nunc habemus, facile in tres dividitur partes, quae sunt

I. v. 1—115 Prooemium.

II. v. 116—962 Pars gravissima seriem Deorum generationum continens.

III. v. 963—1022 Apendix de mortalibus e Deabus prognatis.

vv. 1—115.

Librum efficerem, si omnes de prooemio prolatas sententias referre vellem. Id quidem apparet, tale quale traditum est, ab uno eodemque auctore componi non potuisse. Licet mediocris quidem ingenii fuerit Operum et Dierum poeta, nusquam tamen

eum plane mente captum fuisse invenimus, qualem eum fuisse necesse videtur qui hoc prooemium ita ut nunc legitur, conscripserit. Ac primum quidem v. 53—80 mihi in suspitionem vocandi esse videntur. Versus enim 53—67 glossemati antecedentibus adiecto simillima sunt. v. 68—74 abrupti apparent neque habent quo referantur, quod idem in sequentes versus 75—80 cadit. Verba enim „haec igitur Musae cantabant, novem filiae Jovis, Clio, Euterpe, Thalia“ et reliqua nonnisi supplendi causa et hoc loco Musarum nomina inserendi gratia interpolata videntur. In versu 87 *γὰρ* particula omni ratione caret et plane contortam reddit sententiam.

Neque minus in v. 100—115 insunt quibus offendaris. Versus enim 105—107 non bene cum sequentibus (v. 108 et ceteris) consentiunt. Sententia versus 108 haec est: „dicite Musae quomodo primitus Dii et tellus creati sint.“ Sed tellus in sequentibus ipse in deorum numero est, aut si in hoc versu *γαῖαν* non deam, sed solam sedem hominum intellegere vis, nihilominus cum sequentibus haec sententia pugnat. Quomodo enim terra creata sit, non narratur.

Sed si has offensiones missas facis, reliquum prooemii, quamvis incondite et inscite compositum sit, poetam mediocrem, qualem Hesiodum cognovimus, decere saltem potest. Quatenus enim in reliqua parte genuinis interpolata admixta sint, diiudicare non audeo. Maxime genuini et quos in dubium vocare non cogimur, vv. 1—35 et 81—93 mihi videntur, de reliquis sententiam cohibeo. Quae autem Hesiodi naturae conveniant multa passim in prooemio inveniuntur. Nomino, in quibus quae supra de Hesiodi proprietatibus dicendi enumeravi, tibi in memoriam reducas, illa Boeotorum in finibus sita loca, ut Heliconem, Aganippen, Hippocrenen, Olmeum sive Holmeum, Termessum, Eleutherem — de quo videas ad v. 54 scholium. Neque desunt Boeoticae sive Aeolicae dictionis exempla, ut

v. 15 *γεήοχον* qua forma etiam Pindarus utitur,
v. 60 *κοῦρας* pro *κούρας*,
v. 41 *θεᾶν* pro *θεῶν*,

v. 38 εἰρεῖσαι. εἰρεῖν verbum quod libris et ab Hesychio firmatur, cum in reliquis dialectis non extet, Aeolicae proprium videtur esse.

Adde v. 86 ἰθεῖαι δίκαι, qua metaphora saepius in Operibus et Diebus [v. 36, 221.] utitur. Gnomici aoristi exemplum v. 87 extat. Formae autem quas dixi partim sunt etiam Doricae. Deinde operae pretium videtur, quae in Theogonia v. 81 ss. de iusti regis dignitate praedicantur, cum illo animi affectu comparare, quo in O. et D. in iniustorum malignitatem invehitur. (O. 35 ss., 248 ss.) cui contrarium non est quod in Theogonia v. 88. τούνεκα—οὕνεκα formula Homero recentiorem poetam prodit. Quod alliterationi quoque in nonnullis prooemii versibus occurrimus, praecipue in vv. 1 — 35, quorum v. 35 obscuritatem vere Hesiodeam ostendat, non multum premo.

Quae cum ita sint, sic mihi statuendum videtur, ut dicam, multa in hoc prooemio inesse, de quibus ut Hesiodeis dubitare non possimus, vires autem humanas excedere vera a falsis velle distinguere v. 1—35 exceptis. De reliquo igitur certa sententia ferri non iam potest. De v. 81—93 nihil dicere licet nisi quod Hesiodi naturae non repugnant. Num ab Hesiodo compositi sint et Theogoniae prooemio aliquo loco primitus inserti, in medio relinquere necesse est.

In proxima usque ad v. 962 progrediente parte rerum in iis expositarum ordinem sequemur. Subsequitur in

v. 116—210

de universi primordiis narratio et de generatione Urani et Gaeae quique ex his nati sint, fabula.

Quomodo primae deorum notiones ortae sint quidque iis significetur, praeclare a Schoemanno in commentario Theogoniae ab eo editae adiecto, p. 94 et 95 exponitur*). Cui qui assentitur et qui omnino unquam, quomodo deorum

*) cfr. Schoemanni, comparationem Theogoniae Hesiodeae cum Homerica Opusc. acad. p. 26. §. 4.

notiones primitus ortae essent, meditatus est, tantum abest, ut contendat mente et cogitatione homines principio in deorum opinionem incidisse, ut concedat sive stupore sive timore sive admiratione insolitorum in rerum natura visorum quae oculis obiciebantur, certe quibusdam affectibus animi ad existimandum deos esse ductos fuisse. Itaque nondum quaerebant unde dii nati essent et quae essent omnium rerum elementa. Talia enim quaerere philosophi est, quanquam prima divinarum notionum natura ferebat ut hic vel ille deus tertii filius iam in communi hominum usu putaretur. Talis est apud Homerum de diis opinio. Qui autem altius de rerum natura meditabatur, mox adductus est ut intellegeret

„ . . . . nil posse creari
de nilo . . . .
nec sine principiis ullam rem existere posse."

Omnibusque rebus certam materiem redditam esse

„gignundis, e qua constet quod possit oriri
semine, quando opus est rebus, quo quaeque creatae
aëris in teneras possint proferrier auras."*)

Itaque non solum stemmata deorum inveniebant, sed etiam quae omnium rerum primordia essent, quaerebant. Hoc conati sunt Thales, Pherecydes, Anaximander, alii. Similis philosophandi ratio iam in Iliade existit, ubi Oceanus *θεῶν γένεσις* est.**) Haec apud Homerum sententia aliaque eiusmodi singula veluti in „carmine Wessofontano" linguae theotiscae et in Norroenae „Voeluspasagae" primordio forsitan prisca et antiquissima sint. Quae autem in Theogoniae primordio exponuntur, multo altius et subtilius cogitata sunt et ab homine philosopho orta esse necesse est, qui cum primas rerum causas quaereret, postquam aliud semper ex alio fieri intellexit, postremo in aliquid incidit, quod *ἡμῖν ὕστερον* vel *ὕστατον, φύσει* autem *πρότερον* vel *πρῶτον,* ut Aristotelico verbo utar, — omnium rerum semina in se

*) Lucretii de r. n. I, 155 ss.
**) Il. XIV, 201, 302.

haberet. Cum omnium primordium *Χάος* deinde *Γαῖαν* et *Ἔρος* fuisse vel orta esse auctor fingit, similem amplectitur sententiam illi, quae a quibusdam philosophis prolata est, omnium rerum principio, quod scilicet nonnisi nostrae cogitationi et cognitioni principium est, fuisse duo: *τὸ ὑλῃὲν* et *τὸ πνευματικὸν*, quorum coniunctione *Ἔρωτος* i. e. amoris vi effecta, rerum naturam natam esse. Eadem vel simili ratione aliud in Theogonia numen ex alio nasci videmus. Tale autem carmen in epicorum numerum non posse referri facile vides. Etenim eo consilio a certo homine compositum esse intellegis, ut multas de deorum generationibus et originibus fabulas in unum perpetua serie coniungeret. In quo quanquam nihil refert, utrum singula ipse sibi excogitaverit auctor, an omnia ita narret, quomodo accepit vel e diversis elegit. Nihil tamen omnino eorum, quae affert, eum primum excogitavisse, sed tantum accepta reddere, documento sunt multa, maxime quod primitivam et naturalem et ethicam mythorum vim non iam perspicere videtur silentioque premit, vel duas primitus inter se diversas fabulas commiscet. Ita coniuncta est opinio illa puerilis et naturalis, qua coelum et terra nasci dicitur, cum posterioris aetatis altera, qua illi ortui ethica vis tribuitur, ita ut ex hoc Gaeae cum filio Urano connubio, quippequod incestum sit, nefarios liberos gigni necesse sit, qui patri genetalia, quibus peccaverit, membra adimant Venerem sexualis amoris deam procreantia.

Sed utut est, docendi consilium componendo deorum stemmate a principio rerum orsum auctorem sibi proposuisse nemo non negabit.

Quin igitur hanc partem (v. 116—209) Hesiodo adscribam nihil video prohibere, immo nonnulla eum auctorem affirmant. V. 187 *Μελίαι νύμφαι* ita solita Hesiodea obscuritate dictae sunt, ut de vera significatione interpretes hoc loco non minus quam de versu 145 Operum, quo teste tertia hominum aetas *ἐκ μιλιᾶν* fiat, dubii sint.

Alliterationi nonnunquam occurris.

In v. 184 correptio sillabae ultimae verbi *πᾶσας* pro solito *πάσας* etiam libris munitur. *ἕεις* v. 145 pro *εἴς* tantum

in Theogonia invenitur, quanquam in εἴκοσι ε vocalis prosthesis etiam Homero usitata est. Recentioris autem aetatis formae pronominis reflexivi compositi sunt, ut v. 125 ἑαυτῇ.

Postquam igitur cur v. 116—210 Hesiodeos existimen explanavi, quidam tamen versus excipiendi sunt. V. 196 enim ita absurdus est, ut sani iudicii homo una cum ceteris versibus eum scripsisse non possit. Primum enim ἀφρογενέα verbum nulli Graeco homini explicatione eget, deinde non verum est, deam etiam ob id οὕνεκα ἐν ἀφρῷ θρέφθη dictam esse κυθέρειαν. Recte igitur hic versus a Schoemanno e textu expulsus est. Item v. 199 et 200 glossam olent, quia cum v. 192 et 193 pugnant.

v. 210. 211.

Etiamsi prooemium non respicias, vel ex argumenti natura colligere licet poetae, qui Theogoniam i. e. generationes deorum componere conatur, res non tanquam in dialectica disputatione inter se connectere opus esse, connexui eum satisfacere, si, quo ordine antea parentes nominavit, eo eorum liberos enumeret. Itaque quod v. 211 cum antegressis artissime cohaerere non videtur, non est cur excidisse hic aliquid arbitrari cogamur. Quanquam habeo cur ita statuam. Ad quam opinionem deesse inter v. 210 et 211 vel, si mavis, post v. 232 aliquid, qua causa adductus sim, postea cum de Oceani filiabus dicturus sum, explanabo.

v. 211—232.

(De Noctis liberis.) Miram sane et ab Operum et Dierum et reliquae Theogoniae colore abhorrentem speciem hi versus exhibent. Etiamsi dubitare quis possit, num genuini sint v. 104—115, tamen talibus notionibus quales Ὀϊζύς, Ἀπάτη, Φιλότης, Λιμός, Φόνοι, Μάχαι, in Theogonia locus non est. An unquam talibus mere abstractis omni vitae vigore carentibus divinus honos tributus est?

Nihilominus autem inesse his versibus Hesiodei quid, multis e causis verisimile est. Horcus enim Hesiodo deus

est, cum in O. et D. *Ὅρκον ὃν Ἔρις τέκε* (v. 804) introducat. Quo versu et v. 11 Operum et Dierum demonstratur, etiam Eridem Hesiodo quiddam divini esse. Adde quod in Operibus verba

Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος αλλ' ἐπὶ γαῖαν εἰσὶ δύω,

nullo modo intellegi possunt, nisi ita explicas:

„unum igitur erat, ut adhuc putavi et dixi — Eridum genus, sed duas esse in terra nunc intellego."*)

Quibus versibus poeta ad opinionem suam alio loco, fortasse in Theogonia prolatam videtur alludere. Sed licet haec omnia versuum 211—232 auctorem testentur Hesiodum, ex versibus ipsis maxime eos corruptos esse interpolationibus apparet. Moerae enim quae hic Noctis filiae dicuntur, in v. 904 Jovis et Themidis inducuntur. Neque minus in v. 217 quod repugnet superioribus est. Qui enim modo dixit e Nocte *Μόρον καὶ Κῆρα* natos esse, nisi ineptus fuit, pergere non potest v. 217 *καὶ Μοῖρας καὶ Κῆρας ἐγείνατο.* Servii ad Aeneidis IV. 484 scholio, quo teste Hesiodus aliquo loco Hesperidum nomina Aeglen, Arethusam Hesperusam enumeravit, non ita multum tribuo, quanquam versuum 211—232 textum corruptum esse documento illo scholio aliquo iure uti quis

---

*) Excursus. In illo Operum versu ἄρα particula conclusiva est, quae cum imperfecto ἔην, quod pro praesente ἐστί positum videtur, certum intellegendi modum sibi poscit. E quibus enim propositionibus potest concludere hoc loco poeta antecedentibus nullis? nimirum concludit ex iis quae ipse expertus est quaeque ei evenerunt. Hinc quam supra dedimus explicationem. Simili ratione formula οὐκ ἄρα ἦν apud Homerum, Theognidem, Herodotum adhibetur, propositionibus e quibus concluditur, aeque suppressis, ut semper suppleri queat sententia: quemadmodum antea putavi. Conferas Odysseae XIII, 210 (οὐκ ἄρα ἦσαν.) XVII, 454 (οὐκ ἄρα—ἔησθα) apud Theognidem 700: τῶν δ' ἄλλων οὐδὲν ἄρ' ἦν ὄφελος. 787 οὕτως οὐδὲν ἄρ' ἦ φίλτερον ἄλλο πάτρης. (Si antea putavi praeter patriam ἄλλην τέρψιν esse, nunc quae isti meae opinioni repugnant, expertus sum, est igitur nihil patria dulcius.) Eadem ratione explicanda sunt verba οὐκ ἄρα μοῦνος ἔην etc. in fragmento III apud Bergkium.

potest. Adde quod v. 218 et 219 apud Stobaeum Ecl. I, 4, 38 omittuntur et v. 228 ad verbum in Odyssea XI. 611 invenitur. Statuendum igitur videtur loco versuum 211—232 poetam, quem Hesiodum esse non est cur negemus, de Noctis liberis verba fecisse, interpolatores autem tam diversa addidisse, ut vera a falsis non iam possint distingui.

v. 233—239.

(De Ponti et Gaeae liberis) quorum nomina Thaumas, Phorcys, Ceto, Eurybia traduntur. Qui versus nihil habent quo Hesiodo non adscribere cogamur. De connexu cum praegressis qualis intellegi debeat, supra dixi.

v. 240—264.

(De Nereidibus). Eadem quae de Ponti liberis, de Nereidibus dicenda sunt. v. 245 *Θοή* adiectivum, non proprium nomen esse verisimillimum videtur. Sed de hoc versu Schoemanni commentarius comparandus est. De Nerei uxore Doride, in quam in praegressis versibus nondum incidimus, postea dicendum erit.*)

v. 265 — 274.

Nihil offensionis praebent, nisi quod Electra, Oceani filia in superiore parte nondum memorata est. De hac autem item ut de Doride postea agendum est.

v. 275 — 332.

Multum autem includunt „viarum inexplicabilem errorem“, e quo tamen emergere conabimur.

Ac primum quidem Phorco Graeas peperisse dicitur, Pephredonem, Enyonem, tum Gorgos, quibus trans Oceanum sedes ac domicilia sint, ubi canorae quoque Hesperides habitent, Sthinonem, Eyryalam, Medusam. Ita enim verba struenda sunt, ut *Σθεινώ τ' Εὐρυάλη τε Μέδουσά τε λυγρὰ παθοῦσα* non, ut e grammaticis legibus fieri licet, ad *Ἑσπερίδες*

*) De Nerei nominis stirpe memorabile videtur quod Guilelmus Lüdemannus in praefatione sui „Lehrbuch der neugriechischen Sprache“ pag. XVI. adnotavit.

λιγύφωνοι revocanda sint, sed ad pronomen relativum αἳ. Forsitan malis quidem pro nominativis legi accusativos, ita enim facilior esset verborum structura, quanquam talia quae hic leguntur, non obscura sunt. Veram autem exhibet obscuritatem sequens versus: ἣ μὲν ἔην θνητή, αἳ δ' ἀθάνατοι καὶ ἀγήρῳ.

Utra enim significatur pronomine ἣ μὲν? Sthino an Medusa? aliunde quidem notum est Medusam mortalem fuisse.

Quod autem Cyaneus ei accubuisse, Perseus caput amputasse dicuntur, ut ex capite amputato Medusae Chrysaor exsiluerint et Pegasus equus, sane mirum videtur, quia, qui usque ad hos versus Theogoniam perlustraverit, quinam Perseus et Cyaneus sint, nondum novit, Cyaneum enim, qui Neptunus est, demum v. 456 nasci videmus, Perseï autem parentes nusquam in Theogonia memorari intellegimus. At qui hos versus composuit, non nobis, sed Graecis composuit. Sed si sumendum est eum nihil dixisse nisi quod inter omnes constabat, quid ei consilii fuit omnino deorum generationes explanare? neque ex anticipatione quadam sive prolepsi, ut dicunt grammatici, Cyaneum, Perseum, Chrysaorem, Pegasum hic memoratos esse sumere sapientis est, cum propter alia tum quod Perseo in posteriore Theogoniae parte locus non est; id enim tantum antecapere licet, de quo postea tibi disputandum fuit sive quod ad postea dicta pertinet. Iam vero nonne omni ratione caret ea quae antecapiendi gratia dicta sunt, ita tractare quasi suo loco et recto ordine narrata sint? atqui hoc fieri videmus, cum de Chrysaoris progenie in versibus 287 et ss. uberius narratur.

In v. 287, 288 Chrysaor Callirhoam Oceani filiam amore complecti dicitur. Sed Callirhoa, Oceani filia, in superioribus nondum memorata est. Similiter supra de Doride (v. 241) de Electra v. 266) iudicandum erat. v. 289 Hercules, 306 Typhon, 314 Juno, 319 Minerva, pluribus locis Juppiter memorantur, quanquam omnes nascuntur postea. Ut alia quibus offendimur in hoc de quo disputamus, versuum complexu, afferam, ita obscurus est versus 295, ut

iam veteres scholiastae dubitarint, utrum pronomen ἡ Cetonem significaret an Callirhoam, quanquam propter ἄλλο verbo πέλωρον additum Cetonem significari verisimilius est. Sive autem in v. 295 ἡ pronomen Cetonem significat, sive Callirhoam, v. 309 et ss. utique confuse dicti sunt. In v. 306 enim dicitur Typhaon Echidnae μιγήμεναι ἐν φιλότητι, quae formula semper de concubitu adhibetur. Tum pergitur: ἡ δ' ὑποκυσαμένη τέκετο κρατερόφρονα τέκνα. Exspectas nimirum eam gravidam factam a Typhaone huic peperisse terribiles liberos. Sed quid? quae sequuntur, nonne prorsus contraria dicunt? primum enim peperisse eam Orthum non Typhaoni sed Geryoneo, alterum ex ea natum esse Cerberum legimus. Itaque magis inclinat animus ut arbitrer v. 275—332 non iis addendos esse quos ab Hesiodo abiudicare non cogamur. Forsitan duo in iis auctores possint distingui, quorum uni v. 275—308, alteri reliqua debentur, fortasse etiam v. 289—294 huic alteri tribuendi sunt, qui huic et aliis Theogoniae locis Herculis res gestas inferre studuit.

Si ista a nobis prolata opinio vera est, necesse est, versum 333 primitus versui 274 subiunctum fuisse, et profecto sequitur ordine perpetuo illum optime, pessime v. 275—332 interiectis. Postquam enim v. 270—274 de Cetonis liberis natu maioribus dictum est, nunc v. 334 natu minimus additur. Fortasse autem primitus in v. 334 legebatur ἡ δ' ἄρα ὁπλότατον κτλ. Mutata esse versus incipientia verba ab eo videntur qui praegressos interpolavit, idemque vel posterior quis, cum quanto intervallo v. 333—335 ab illis 270—274 interpolatione diiuncti essent, animadvertisset, iam v. 336 τοῦτο μὲν ἐκ Κητοῦς καὶ Φόρκυνος γένος ἐστί videtur adiecisse. Praeterea de

v. 333 — 336

nihil addendum est. Sequitur

in v. 337 — 345

Oceani cum Tethy liberorum vel fluviorum index, cui iungitur in

v. 346 — 370

Oceaninarum enumeratio. In illo fluviorum indice multa

esse quae offendere possint, etiam Schoemannus his verbis confitetur (p. 171). „Das freilich ist nicht in Abrede zu stellen, dass sich in dem Verzeichnisse der Flüsse kein rechtes Princip, welches die Auswahl bestimmt hätte, erkennen lässt. Es werden in bunter Folge fünf und zwanzig grosse und kleine, berühmte und unberühmte, nahe und entfernte Flüsse genannt. Unter ihnen sind mehrere, von denen das homerische Zeitalter noch gar keine Kunde hatte, wie der Nil, der unter diesem Namen kaum viel vor dem solonischen Zeitalter bekannt geworden zu sein scheint.“ Quae tamen non ea sunt quibus hunc fluviorum indicem auctori Operum et Dierum non tribuere cogamur. Num autem eo quo nunc est, loco Theogoniae, ille index primitus fuerit, noniam diiudicari poterit. Dico hoc, quia de sequente Oceaninarum indice aliter atque alii critici existimo et haec Oceaninarum enumeratio, quae est earum natura, a fluviorum non bene posse disiungi videtur. Quod enim ad Oceaninas attinet, eas nunc demum enumerari valde mirum est. Namque iam in superioribus Theogoniae partibus in nonnullas Oceani filias incideramus, quas nunc v. 346—370 nasci videmus. Sic habes v. 241 Doridem Oceaninam, Nereïdes parientem, v. 266 Electram Thaumanti nubentem (v. 288 Callirhoam Geryoneï matrem).

Quarum cum Doris et Electra antea in versibus, de quorum genuina origine dubitandi causa nulla erat, inventae sint, priusquam editas esse in vitam narratum est, ea re in hanc opionem adductus sum, ut iam supra complures versus Oceani liberorum nomina exhibentes excidisse arbitrer.

Quod videtur inter versus 210 et 211, aut certe ante versum 233, quo fere loco etiam Goettlingius de Crono imperium sibi arrogante narrationem desiderari vidit. Si enim Doris, Oceani filia, ante Nereïdum indicem introducta esset, hic a versu 233 optime subsequi poterat, nunc autem res ita se habet, ut Nereïdum mater, postquam iam L filias peperit, ipsa demum nascatur. Praeterea autem aliud in illo indice est, quo non minus offendamur. Ita neglegenter enim compositus est, ut nonnulla Nereïdum nomina inter Oceaninarum repetantur, Doris, Pasithoë, Thoë, Eudora,

aliae Oceaninarum nonnisi exigua nominis varietate a singulis Nereïdibus differant.

Quibus argumentis perpensis adductus sum ut putem hanc de Oceaninis partem, istis quos supra deesse significavi versibus deperditis, ab aliquo additam esse, qui, cum variis Theogoniae locis ut

v. 241 Doridem, v. 266 Electram, v. 382, 776 Stygem, v. 507 Clymenam, v. 886 Metim, v. 907 Eurynomam, v. 957 Perseïdem, v. 961 Idyiam, fortasse v. 288 Callirhoam

filias Oceani nominari vidisset, eas collectas versibus includere et aliquo Theogoniae loco inserere studuerit, sed qui praeter has alias etiam, in Nereïdum indice omissas sibique notas nymphas marinas eodem congerere animum induxerit, ita autem neglegenter congesserit, ut nonnullas in Nereïdum numero iam enumeratas denuo vel eodem vel simillimo nomine reciperet. Quamvis autem illarum nympharum gregem augere studeret, non plus XLI nomina corrasit, multas praeterea, tria milia, esse addidisse contentus.

Quod supra incertum esse dixi, num fluviorum index suo loco legatur, opinione mea nunc de Oceaninis prolata illustratur. Si enim statuo, verum Oceaninarum indicem post v. 210 sive ante 233 excidisse, sumere fortasse licet, etiam fluviorum enumerationem eodem fere loco primitus fuisse.

v. 371—382

de his versibus non est cur dubitem. Animadvertas in horum nonnullis extantem alliterationem.

v. 383—403

(de Styge eiusque liberis). Is qui hos versus fecit, temporum ordinem nihil curavit. Narrat enim de Styge eiusque liberis quasi Jupiter iam dudum natus sit et principem inter deos locum obtineat. Deinde *Ζῆλος*, *Κράτος*, *Βίη*, dubito num unquam dii habiti sint. Quo in genere v. 383—385 illis similes sunt versibus 213—232. Tum quae in v. 392 ad Titanomachiam pertinentia narrantur, postea cum haec ipsa describitur, quasi ignota silentio praetereuntur. Jovis quoque

in his nomen dixerit quispiam antecipationem. Sed quantumvis liceat rerum narratori res antecapere, multum tamen quomodo faciat, interest. Quanquam de ea re iam supra dixi. Si enim Styge commemorata nihil aliud esset additum nisi quod v. 399 est,

τὴν δὲ Ζεὺς τίμησε, περισσὰ δὲ δῶρα ἔδωκεν

ferri hoc posset. Ita enim interpretareris: ὕστερον δὲ Ζεὺς, ἐπειδὴ γεννηθεὶς θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων βασιλεύειν ἤρξατο, ἐτίμησεν αὐτήν. Posset autem ferri, quia, si quis ita loqueretur, haud quaquam praesentia poneret, quae postea evenerunt neque ordinem neque perspicuitatem rerum turbaret. Turbat autem qui v. 386 pergit:

τῶν οὐκ ἔστ' ἀπάνευθε Διὸς δόμος. —
ἀλλ' αἰεὶ πὰρ Ζηνὶ βαρυκτύπῳ ἑδριόωνται κ. τ. λ.

quae cum ita sint, facere non possum, ut hos de Styge versus Hesiodeos putem. Sequuntur

v. 404—412

de Phoebes et Coeï liberis. Qui versus offensionis nihil habent. In Coeï progenie ultima refertur Hecate. De qua

v. 413—452

sunt. De his versibus, qui propter formam sententiasque non sine causa hymnus in Hecaten dicti sunt, quanquam alii aliter iudicaverunt, mihi quidem quid iudicem, non satis constat, ut sententiam cohibere quam hunc hymnum temere ab Hesiodo abiudicare malim. Dubitare autem quis potest, num hoc Theogoniae loco an omnino in Theogonia primitus lectus fuerit. In sequentibus

v. 453—500

deorum generationes continuantur. Tandem Crono ex Rhea, Jupiter, Vesta, Ceres, Juno, Hades, Neptunus nascuntur. Nulla in his *νοθείας* vestigia cognosco, imo nonnulla quae Hesiodi propria esse supra vidimus. Ita v. 457 prodit poetam qui de fabularum suarum significatione non sollicitus omnes, quas acceperat, in unum contexere studuit. Ferebantur, opinor plures et diversae de deorum et rerum naturae

origine fabulae, quarum in una Jupiter rerum principio pater deorum et hominum praeponebatur, in alia ex altiore quadam cogitatione profecta, Chaos in principio rerum ponebatur. Quas duas hic coniunctas videmus, cum Jupiter *Θεῶν πατὴρ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν* dicitur. Sed in Hesiodea Theogonia Jupiter deorum pater non est.

v. 501—506.

„Haec ad Hesiodum non pertinent, sed ex alio quodam antiquo poemate huc translata sunt ab aliquo qui manca haec esse putabat.“ Ita Goettlingius. Sed huius rei causas, quas ad v. 501—506 notatas videas, refutari posse puto. Nam e versu 139 non videtur necesse esse concludas ex Hesiodi sententia Cyclopes natos esse a Tellure sola neque concumbente Coelo, praesertim cum v. 132 et 147 (*ἄλλοι δ' αὖ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο*) contuleris. Pluribus de his versibus (501—506) ad versus 617 et sequentes disseram. Sequntur

v. 507—616

in quibus de Prometheï ortu, fraude, poena exponitur. Bene succedunt omnia usque ad v. 511. Quae autem sequuntur, usque ad v. 534 valde impedita sunt. Consideremus enim sententiarum in his connexum. Legis

Κλυμένη . . τίκτε Ἄτλαντα καὶ Μενοίτιον ἠδὲ Προμηθέα καὶ Ἐπιμηθέα,
ὃς κακὸν ἐξ ἀρχῆς γένετ' ἄνδρασι . .
πρῶτος γὰρ Διὸς . . ὑπέδεκτο γυναῖκα.
Μενοίτιον Ζεὺς ἐς Ἔρεβος κατέπεμψε εἵνεκα ἀτασθαλίης.
Ἄτλας οὐρανὸν ἔχει.
Προμηθέα δῆσε ἀλυκτοπέδῃσι δεσμοῖς.

Itaque Epimetheus a principio hominibus pernitiei fuit. Cur fuit? quia primus a Jove mulierem virginem accepit. Quae res in sequentibus non memoratur. Deinde non vides, quare Epimetheus primus mulierem duxisse feratur. Menoetius quidem propter superbiam punitur, sed Atlas, quid commiserit, ut ei coelum imponatur, ne verbo quidem signi-

ficatur. Ceterum etiam v. 517 cum v. 766 videtur pugnare, illic enim Atlas

πείρασιν ἐν γαίης, πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων ἑστηὼς i. e. trans Oceanum (v. 215), coelum fert, hic πρόσθε Ταρτάρου ὑπὸ χθόνος poenam luere dicitur. Item obscurum est cur Prometheus vinciatur, epitheta enim κρατερόφρων et ποικιλόβουλος quaerendarum causarum cupiditatem magis excitant, quam poenarum ipsas causas afferunt. Deinde quid sibi volunt verba v. 522 μέσον διὰ κίον' ἐλάσας et v. 532 ταῦτ' ἄρα ἀζόμενος? Potest igitur suspitio oriri, v. 514—532 ab eodem interpolatos esse, quem iam supra id agere vidimus, ut, ubi fieri poterat, de Herculis rebus gestis textui aliquid inferret. Neque quae sequuntur, sine offensionibus leguntur. In v. 535 enim subito hominibus occurris, quanquam exspectandum erat poetam qui omnium rerum principio Chaos, Tellurem, Eros praeposuit et inde deorum genera deduxit, aliquo loco etiam originem hominum memoraturum esse. Narratur iam quomodo Prometheus Jovem deceperit, Jovem ob eam rem iratum hominibus, quasi Prometheus horum patronus vel ipse generis humani fuisset, puniendi causa ignem abscondidisse, fraude autem Promethei ignem denuo a coelestibus esse surreptum. Iam vero patrem deorum gravissimo in detestabile hominum genus supplicio usum esse, Vulcanum enim ab eo iussum esse mulierem hominibus creare, Minervam autem creatam omni venustate et dulcedine ornare. Itaque primam mulierem hominibus adhuc caelibibus adductam esse, causam omnis generis malorum. Sequitur tum usque ad v. 616 appendix, in quo huius narrationis auctor odium, quo in sexum muliebrem fertur, largius effundit. Quae omnia ut ex Operum et Dierum contemplatione videre licet, ita Hesiodum decent, ut facere non possim, quin Hesiodea esse dicam. Quanquam Jupiter primam mulierem non ipse fabricatur, sed Vulcanum Minervamque fabricari et ornare iubet. Quomodo hi dei autem mulieri creandae interesse possunt, cum in deorum consilio neque iam sint neque omnino iam in vitam sint editi? Minervam enim in v. 924 demum ex capite Jovis, in v. 926 Vulcanum

nasci videmus. Exstirpari autem v. 571—584 ad tollendam repugnantiam nullo modo possunt; quia tum reliqua intellegi non possunt. Profiteor igitur consilii me inopem esse. Iam Schoemannus huius narrationis inconditam confusamque rationem perspexit, cum ait: „Eine wunderliche Erzählung, der es Jeder gleich ansehen muss, dass ihr etwas zur Vollständigkeit fehlt und dass sie das eigentliche Verhältniss der handelnden Personen nicht klar macht, sondern als bekannt vorausgesetzt oder zu errathen aufgiebt“ et optaverit quispiam ut certis argumentis possint demonstrari, quae addit: „Offenbar haben wir nur einen kurzen und nicht sonderlich geschickten Auszug aus einer vollständigeren und ausführlicheren Darstellung des Prometheusmythus vor uns. Der Verfasser der Theogonie hat aus ihr nur die Punkte herausgehoben, die ihm als die wesentlichsten erschienen“ etc. Qua opinione, si recte se habet, illae repugnantiae si non tolluntur, at diminuuntur. Equidem quid iudicem, dixi. Sequitur in

v. 617—736 Titanomachia

vel pugna Cronidarum cum Titanibus de imperio. Primo dubium esse potest, qui deorum Titanes habendi sint. Enumerantur enim in v. 134 liberi, quos Uranus cum Gaea generasse dicitur. Qui sunt

1. primum duodecim

Κοῖος	*Ὠκεανός*	*Θέμις*
Κριός	*Κρόνος*	*Μνημοσύνη*
Ὑπερίων	*Θείη*	*Φοίβη*
Ἰαπετός	*Ῥεία*	*Τηθύς.*

2. deinde, de quibus dubitatum est, num a Gaea sola an Urani opera geniti sunt, Cyclopes

   Βρόντης, Στερόπης, Ἄργης.

3. tum Centimani (v. 147)

   Κοττός, Βριάρεως, Γύης.

4. postremo ex guttis sanguineis quas Uranus amiserat, nascuntur (v. 185)

   Ἐρινῦς, Γίγαντες, Νύμφαι Μελίαι,

sequuntur iam v. 207 et 208:

τοὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκεν
παῖδας νεικείων μέγας Οὐρανὸς οὓς τέκεν αὐτός.

Ex his igitur omnes quos modo diximus, dii Titanum cognomine dicti videntur fuisse. Quorum nonnulli, quia patris in odium venerant, ab hoc in vincula missi sunt. Ita enim versus 154 et sequentes intellegendi sunt, ut struas:

ὅσσοι δεινότατοι παίδων Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο, i. e. saevissimi atrocissimique liberi — σφετέρῳ τοκῆι ἤχθοντο ἐξ ἀρχῆς. καὶ ὅπως αὐτῶν τις πρῶτα γένοιτο, πάντας ἀποκρύπτασκε καὶ ἐς φάος οὐκ ἀνίεσκε.

Qui liberorum igitur a patre in vincula coniecti sint, eorum nomina ex his versibus non elucent. Duobus deinde Theogoniae locis traditur Jupiter liberos Urani e carcere liberavisse, v. 501—506 et v. 617—628. Ex verbis

Λῦσε δὲ πατροκασιγνήτους ὀλοῶν ἀπὸ δεσμῶν
Οὐρανίδας, οὓς δῆσε πατὴρ ἀεσιφροσύνῃσιν

videtur colligi posse omnes quos ab Urano vincti erant, Titanes a Jove liberatos esse, ita ut versus 617—628 plane supervacanei essent, quocum tamen pugnat, quod v. 504 additur

οἵ οἱ
δῶκαν δὲ βροντὴν ἠδ' αἰθαλόεντα κεραυνὸν
καὶ στεροπήν.

Ex versu enim 141 Cyclopes sunt neque etiam Centimani, qui Jovi fulmina, fulgura, tonitrua dabant. Liberantur igitur tantum Cyclopes in his versibus, qui, ut recte intelligantur, ita legendi videntur:

Λῦσε δὲ πατροκασιγνήτους ὀλοῶν ἀπὸ δεσμῶν
Οὐρανίδας — (οὓς δῆσε πατὴρ ἀεσιφροσύνῃσιν) —
οἵ οἱ ἀπεμνήσαντο χάριν εὐεργεσιάων
δῶκαν τε βροντήν κ. τ. λ.

et ita struendi, ut enuntiationum relativarum prior interpositio accipiatur, altera, quasi dictum sit: τούτους τοὺς Οὐρανίδας οἵ οἱ ἀπεμνήσαντο χάριν εὐεργεσιάων δῶκαν τε βροντήν κ. τ. λ., restrictionem contineat. Ita igitur si

legimus struimusque verba, eos Jupiter e carcere liberat, qui gratiae persolvendae causae fulgura ei se daturos esse polliciti sunt, Cyclopes. Ita etiam hoc intellegis cur Centimanos postea demum in libertatem vindicet. Cottum enim, Gyen, Briareum non liberat (v. 617—628) promissis adductus, sed quia Gaea eos ei magno auxilio fore monuerat. Iam in iis qui sequuntur versibus, si Titanes adversarii Olympiorum nominantur, facile apparet, non omnes Titanes, i. e. Uranides hoc nomine intellegi. Titanes enim in pugnae descriptione omnes dici vidimus, qui deorum a parte Jovis adversariorum stant. Itaque Centimani, quanquam natu Titanes sunt, hic Titanibus opponuntur. Neque solum non Urani liberos Titanum nomine auctorem pugnae descriptae intellegere, sed etiam alios deos horum numero tribuere, ita ut Titanum nomen in hac Theogoniae parte idem valeat atque adversarii Jovis, tum ex versu 676 verisimile est, ubi Titanes *φάλαγγας* in pugnam mittunt, tum ex iis quae de ea re Schoemannus (comment. p. 225) exposuit. Si quis vult, poetam, quod in v. 207 Titanum nomen alia verbi sententia atque in pugnae descriptione usurpat, neglegentiae poterit accusare. Quae tamen Hesiodi ita propria est, ut iam ob eam rem non sit, cur Titanomachiae carmen ei adscribere dubitem. Ceterum, si vis, etiam in eo neglegenter narrat poeta, quod, quid spectaverint Titanes contra Jovem arma ferentes, tacet. Quod autem in pugnae descriptione Titanes non iidem sunt, qui supra v. 207 Titanes dicuntur, ex Schoemanni opinione facile ita explicari potest, ut poeta veterem mythum qualem acceperat, Theogoniae inseruerit Titanesque eos dixerit, qui in illo mytho Titanes dicti sint.

Postquam de Titanomachia disserui, nunc quae supra praeterii, de nonnullis versibus ad eam revocandis addam.

Si ita ut structuram sententiamque et versuum 154 ss. et 501—506 et 617—628 exposui, eos intellegis, inter hos tres locos repugnantia non est. Quanquam dubitari potest, num res ita se habeat, quia explicatione mea, quid particulae *γὰρ* post verbum *ὅσσοι* (v. 154) et *δὲ* post *σφετέρῳ* (v. 155)

significent, non appareat. Sed pro γὰρ cum Gerhardo δ' ἄρ legendum et δὲ post σφετέρῳ omittendum videtur. Ceterum si versus 501—506 ut glossema tolluntur, in versu 154, quod ad Goettlingii supra allatam notam supplendi causa dico cum Overbeckio pro ὅσσοι scribendum est οὗτοι. Tum haec existit sententia: „hi autem, Cottus, Gyes, Briareus scelestissimi ex Gaea et Urano nati erant et ob id a principio patri odiosi.“ Sequeretur ut tantum Centimani in carcerem coniecti fuerint, quod versibus 501—506 exstirpatis optime cum versibus 617—628 concineret. Neque tamen versus 501—506 tollendi et propterea in v. 154 ὅσσοι in οὗτοι mutandi necessitatem nobis impositam esse, expositione superiore satis mihi videor demonstrasse.

v. 736—819 Titanomachiae appendix.

α) 736 – 745.

Qui praecedentia composuit, nullo modo, nisi ineptus fuit, hos versus addidisse potest, quibus quae antea dicta sunt, otiose repetuntur et amplificantur. De versuum 744 et 745 ineptiis Schoemannus satis disseruit, ut vix quidquam addi possit, nisi quod etiam 758 apparet eos primitus a textu procul fuisse. Itaque non aliter rem mihi fingere possum, quam ut v. 736—745 ex glossemate textui irrepsisse putem, quod etiam v. 746 confirmatur, verba enim τῶν πρόσθε intellegi non possunt, nisi ad versus 734 et 735 revocantur. In

β) v. 746—765

Tartari descriptio continuatur. In

γ) v. 766—774

Proserpinae memoratio potest offendere, utpote quae demum v. 193 nascatur. Observatione dignum videtur quod Cerberus hic οὔασιν ἀμφοτέροισιν σαίνει, in v. 313 πεντηκοντακέφαλλος est.

δ) v. 775—806

de Stygis sede descriptio parum perspicua. v. 790 et 791 prorsus non intellego.

ε) v. 806—819

(descriptio Tartari). In quibus versibus antecedentium confusio accumulatur. v. 807—810 dittographia sunt versuum 736—739 et cum his versuum 727 et 728 sententiam repetunt et amplificant. *Μαρμάρεαι πύλαι* in v. 711 illis *χαλκείαις πύλαις* (v. 733) repugnant, quas Neptunus fecit. v. 813 ita vertendus videtur: „ante omnes deos externos trans obscurum Chaos Titanes habitant." Confiteor autem me horum verborum sententiae intellegendae imparem esse. Neque faciliora intellectu fiunt *πρόσθεν* in *νέρθεν* ex Schoemanni sententia mutato. Ac postremo Jovis inclyti adjutores iam *ἐπ' Ὠκεανοῖο θεμέθλοις* domicilium ponere coacti sunt, cum in 736 in siccaneis, ut videtur, sedere iis licuerit. Alia mitto.

Ut iam de universo hoc Titanomachiae appendice sententiam feram, negandum mihi est me fingere mihi posse quomodo homo, cui Opera et Dies debemus, etiam talia tam parum perspicua repugnantiis plenissima componere potuerit. Etiamsi enim versus 736—745, 806—819 e textu eiiciamus, quae restant, cum consilio Theogoniae i. e. libri deorum generationes continentis non bene concinere videntur. Id saltem, quod textus in hac parte mirum quantum turbatus et interpolatus est, neminem effugiet. Sequitur in

v. 829—880

narratio pugnae a Typhone contra Jovem susceptae.

Iam Schoemannus quem temerarium esse criticum minime dices, multis locis in hoc offenditur. Potissimum autem illi versus suspitiosi propter has causas videntur

1. in v. 820 dicitur: *αὐτὰρ ἐπεὶ Τιτῆνας ἀπ' Οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεύς.*

Quando autem in coelo versati sunt Titanes? Ex Othry monte pulsos esse supra legimus.

2. Tartari nomine in omni Theogonia semper locum significari constat. At in v. 822 persona est Tartarus liberosque gignit.

3. quae tum a Schoemanno demonstratur repugnantia huius loci et v. 306, ubi Typhon iam vivat cumque Echidna Cerberum gignat, nulla est, si v. 306—312 insitivos iudicamus.
4. multae sententiae obscurae et perplexae sunt. Quid temporis in v. 836 verbis *ἤματι κεινῷ* significatur? Licet putare illo die quo natus sit. Sin autem iam eodem die arma in eum moventur neque ponuntur, priusquam devictus in Tartarum, patrem suum, reiectus sit, qui fieri potest, ut nihilominus liberos gignat, eos ventos, qui illi ventorum generi opponuntur quod est *ἐκ θεόφιν γενεή*, quasi Typhon deus non sit? In v. 869 divinandum est, quis iecerit eum in Tartarum. Alia eiusmodi praetereo. Longum est repetere, quo severissimo iudicio ipse Schoemannus in hanc Thyphonis pugnam invehatur. Si denique huius pugnae descriptionem cum Titanomachia comparamus, illa nihil nisi mala Titanomachiae imitatio videtur. Similes enim aut iidem versus plures inveniuntur, sic ex hac comparatione apparet:

Pugna Titanium.	**Pugna Typhonis.**
679] *Γῆ δ' ἐσμαράγησεν, ἐπέστενε δ' οὐρανὸς εὐρὺς σειόμενος, πεδόθεν δ' ἐτινάσσετο μακρὸς Ὄλυμπος.*	839] *ἀμφὶ δὲ γαῖα σμερδαλέον κονάβησε καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν ποντός τ' Ὠκεανοῦ τε ῥοαὶ καὶ Τάρταρα γαίης*
ἔνοσις ἵκανε βαρεῖα Τάρταρα ἠερόεντα ποδῶν.	*ποσσὶ δ' ὑπ' ἀθανάτοισι μέγας πελεμίζετ' Ὄλυμπος ὀρνυμένοιο ἄνακτος. ἐπεστενάχιζετ' δὲ γαῖα.*
681] *ῥιπῇ ὑπ' ἀθανάτων, ἔνοσις ἵκανε βαρεῖα.*	849] *ῥιπῇ ὑπ' ἀθανάτων, ἔνοσις ἄσβεστος ὀρώρει.*
690] *οἱ δὲ κεραυνοὶ ἴκταρ ἁμὰ βροντῇ τε καὶ ἀστεροπῇ ποτέοντο.*	845] *βροντῆς τε στεροπῆς . . κεραυνοῦ τεφλεγέθοντος.*
695] *ἔζεε δέ χθὼν πᾶσα καὶ Ὠκεανοῖο ῥέεθρα.*	847] *ἔζεε δὲ χθὼν πᾶσα καὶ Οὐρανὸς ἠδὲ Θάλασσα.*
701] *καῦμα δέ θεσπέσιον κάτεχεν χάος.*	844] *καῦμα . . κάτεχεν ἰοειδέα πόντον* (!).
707] *βροντήν τε στεροπήν τε καὶ αἰθαλόεντα κεραυνόν.*	854] *βροντήν τε στεροπήν τε καὶ αἰθαλόεντα κεραυνόν.*

Praeterea versus 838 ex Iliad. VIII, 132 repetitus est.

Quaecum ita sint, facere non possum, ut hos versus (829—880) eidem, cui titanomachiam et primordium Theogoniae (v. 116 ss.) debemus, attribuam. Postremo liceat addere, quae Schoemannus, cum de sequentibus versibus disputat suo de Typhonis pugna iudicio adiicit: „Mit v. 881“ inquit, „treten wir in den letzten Abschnitt der Theogonie. Gleich der Anfang dieses Abschnittes mag als Zeugniss angesehen werden, dass seinem Verfasser, als er ihn schrieb, der voraufgegangene Kampf gegen Typhoeus nicht als Bestandtheil der Theogonie vorgelegen habe, weil er zwar der Besiegung der Titanen erwähnt, jenes aber mit keinem Worte gedenkt.“

v. 881—962.

Hi versus cum titanomachia et inter se optime cohaerent, neque tamen eorum textus ab omni corruptione liber videtur esse. v. 900 Schoemannus post v. 887 legi mavult. Et iure quidem. Nam non ut quid bonum et malum esset, suaderet ei dea, decoravit Jupiter Metim, sed ut prohiberet quominus ex ea nascerentur *περίφρονα τέκνα*. Ipse voluit parere, ut oraculi vim tolleret. Deinde negari non potest, v. 924—926 pro eo quo nunc sunt, loco, melius post v. 900 poni. Deest autem in iis verbum ex quo accusativi *γλαυκώπιδα Τριτογένειαν* et qui sequuntur, pendent. Num forte pro *δεινήν* (v. 925) legendum est *γείνατο*?

v. 927—929 nisi hoc ordine

Ἥρη δ' Ἥφαιστον κλυτὸν οὐ φιλότητι μιγεῖσα
ἐκ πάντων τέχνῃσι κεκασμένον Οὐρανιώνων
γείνατ' ἐπεὶ ζαμένησε καὶ ἤρισεν ᾧ παρακοίτῃ.

leguntur, confusi sunt, in quibus praeterea Schoemanni coniectura *γείνατ' ἐπεί* non solum apta sed etiam necessaria videtur.

v. 938—944 recentioris aetatis interpolatio videntur esse, quia in reliqua Theogonia nihil est quo revoces Atlantidem Maiam. Videntur hi versus ab isto Herculis laudatore adiecti esse quem iam supra de hoc interpolantem compluries deprendimus. Idem de v. 947—955 dicendum est,

si quidem haec omnis pars a v. 937 primitus in Theogonia fuit, saltem cum praecedentibus ideo non cohaeret, quod de Jovis generationibus iam supra (v. 886—829) dictum est.

Nam cum versu 962 Theogonia subito interrumpatur sequaturque novum carmen novo prooemio praemisso, ita ut nonnulli hanc clausulam ad deperditam Heroogoniam Hesiodi pertinere putent, cur non versus quoque 937—962 illuc pertinere existimantur? Versibus enim 963—968 invocantur Musae, ut qui immortales liberi ab mortalibus viris geniti sint, dicant. Nonne forte ante versum 937 similis fuit primitus invocatio, qua Musae, quos immortales a mortalibus feminis nati essent, dicere iuberentur et qua quae ab hoc versu sequebantur, cum Theogonia aptius cohaerent?

Qua ratione sumta, quod nonnulli putant, Heroogoniam primitus cum Theogonia coniunctam fuisse facile fingere possumus. Nihilominus autem num versus 962—1022 revera Heroogoniae pars fuerint, diiudicare non audeo. Deperdita autem in hac Theogoniae clausula multa, versibus 1021 et 1022

νῦν δὲ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε, ἡδυέπειαι
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο

apertissime elucet. Clausulam qualis legitur, ab auctore Theogoniae non compositam esse, contendi non poterit, ad Theogoniam autem pertinere minus verisimile videtur.

IV.

Conclusiones.

Ut iam eorum quae disputavi, summam faciam, haec mihi statuenda sunt.

Theogonia in universum unius hominis compositio videtur, qui quidquid deorum mythorumque tenebat sive acceperat, sibi et aliis ordine perpetuo versibus includere studuit. Unde causa quoque repetenda est, quod non omnibus divinis numinibus, quae a Graecis culta sunt, sed quibusdam uni certo homini, qui neque legendo neque alias tribus visendo ampliores notitias sibi paraverat, et in una regione notis in Theogonia locus est. Neque minus inde etiam illae inter-

polationes explicari debent quibus poema auctum esse videmus. Nam qui Theogoniam perlustrantes aliquem deum sive deam desideraverant, aliquot versibus addendis ea quae deesse vel omissa a poeta putabant, facile supplere posse sibi visi sunt. Factum esse potest, ut hoc modo Herculis res gestae carmini pluribus locis illatae sint. Plerumque autem interpolationem a textu genuino certa ratione distingui non posse demonstravi.

Si ab istis interpolationibus recedis, ea quae restant, unum praebent ac continuum carmen, quod ad elegantiam ingeniumque non pluris aestimandum est quam Opera et Dies. Ut haec, ita illud mediocris sunt poetae. Multa ad sententias dicendique genus pertinentia utrique carmini communia esse explanavi. Operibus et Diebus unum statuendum esse poetam Hesiodi nomine, non esse cur in dubium vocemus, supra monstravi.

Atqui etiam Theogonia Hesiodi esse libris tradita est, itaque ex iis quae disputavi, ego quidem facere non possum quin dicam: nihil habeo cur dubitem num Hesiodus Operum et Dierum compositor etiam Theogoniae auctor sit.

V.

Appendix.

De aetate Hesiodi commentatio.

Quae ad statuendum quo Hesiodus vixerit, tempus dici possunt, breviter afferram.

Ac primum quidem et ex argumenti tractatione et ex genere dicendi carminum Hesiodeorum, ut saepius supra significavi, haec Homericis recentiora esse sequitur. At si nunc inter omnes constat Homerica nata esse arte scribendi a Semitis*) nondum recepta certe nondum vulgata, longe aliter de carminibus Hesiodeis censendum est. Non possum enim cogitare talia qualia sunt in Operibus illae ad fratrem Persen epistulae litteris neque cognitis neque adhibitis ex-

*) Confer de ea re: Dr. Karl Oppel: Kemi. Aegypten's Bedeutung etc. Frankfurt a./M. 1859.

stitisse et per secula servata esse. Et quis istas Theogoniae ieiunas et omni vigore carentes nominum tabulas semel auribus perceptas memoria tenuerit? Si non sine causa putare licet Homerica carmina certis modis musicis recitari — et apto musico modo memoria carminis ipsa valde adiuvatur — illud etiam Hesiodeis tribuere non audeo. Concludendum esse igitur videtur Hesiodum quidem scribendi peritum fuisse. Quae res eo firmatur, quod Hesiodi familia ex Jonia, ubi ars scribendi prius culta esse videtur quam apud Graecos Europaeos, in Boeotiam emigraverat. Quando autem ars scribendi a Graecos recipi coepta est?

Antiquissimae nobis graecae inscriptiones anni 616 a Chr. sunt. (cfr. Kirchhoff: Studien zur Gesch. des griech. Alphabets p. 146.) Quae inscriptiones, — dico decem illas Abusimbelias a Kirchhoffio p. 147—149 repetitas — multis ex causis memorabiles videntur.

1. Ostendunt enim primum graecarum litterarum figuras iam multo a Phoenicum literis diversas esse, vel etiam literarum ordinem a Graecis iam liberius et componi et augeri coeptum esse.
2. Deinde ex iis videmus illam scribendi rationem, quam *βουστροφηδὸν* fieri dicunt, adhiberi iam desitam esse.
3. Tum inscriptiones illae a mercenariis idque Teiis et Colophoniis qui erant Jones, et Doricis saxo insculptae sunt, quae res documento est artem scribendi tum iam valde vulgatam fuisse.

E quibus causis intellegitur literarum usum apud Graecos tum Ol. XL. iam dudum e primordiis egressum fuisse, ut fortasse aliquo iure confidenter coniicere liceat, saeculo ante, i. e. Ol. XIX scribendi artem Graecis iam notam fuisse. Ante primam Olympiadem hanc artem in Graecia iam floruisse, adhuc nulla re probata est, ita ut ex nostra cognitione Hesiodus post primam Olympiadem ponendus esse videatur. Quid autem Joannes Malala sibi velit et unde sumpserit cum dicit: „*εἶναι ἐπὶ τῶν ιβ' πατριαρχῶν τόν Ἡσίοδον*,

ὃς τὰ Ἀσσυρίων γράμματα εἰς Ἑλλάδα γλῶσσαν μετέβαλεν et similia (cf. Goettl. p. XVII) non perspicio.

Antiquissimos poetas, e quorum reliquiis Hesiodi carmina nota iis fuisse appareat, habemus Sappho et Alcaeum, ut certe Hesiodus his posterior non fuerit. At floruit Alcaeus circa Ol. XL.

E Plutarchi, cui vulgo tribuitur, libro qui de Musica est, nescio an colligi liceat etiam Terpandrum in Hesiodi carminibus versatum esse, vixit autem Terpander circiter Ol. XXXIII.

Postremo etiam ex hoc argumento colligi quid poterit. Hesiodus quanquam revera epicus poeta non est vehementerque ad lyricos inclinat, epicorum tamen et dialecto et metro utitur, quod, praesertim cum consideres qua diligentia Graeci in iusto adhibendo metro usi sint, sane documento est, lyricae poeseos formas conditas nondum fuisse; sed iam Archilochus, qui Ol. XVII. coloniam Thason in insulam deduxit, nova forma novo metro in lycricis poematis utitur, ut fortasse inter Ol. I. et XVII. vel hoc fere tempore floruerit Hesiodus.